



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Crisis Theologica

Cárdenas, Juan de

Sevilla, 1687

Cap. I. Pro expositione propositionis 29. damnatæ præmittuntur aliqua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75689)

teneatur, illi dignitatis candidato nullatenus licere vti restrictione mentali.

61. Confirmatur ex leg. *Semper*. ff. de Regulis iurif., vbi pro regula generali traditur: *Semper in obscuris* (id est in dubijs) *quod minimum est, sequimur.* Vt ex alijs etiam textibus ostendi supra. Cum ergo non sit certum, quin potius valde dubium, an Pontifex damnet opinionem aliquam circa manifestandum veritatem iudici interroganti; quod minimum est, sequi debemus, nempe quod ea damnatione non contineatur id, quod spectat ad manifestandum iudici crimen occultum; sed solum id, quod spectat ad restrictionem mentalem, quæ ex nullo capite honestari potest.



DISERTATIO XX.

An liceat simulare administrationem Sacramentorum, saltem ex metu gravi?

CAPVT I.

Pro expositione propositionis 29. damnata præmittuntur aliqua.

SVMMARIVM.

- Refertur propositio damnata, & eius sensus.* num. 1.
- Distinctio simulationis formalis, & materialis.* num. 2.
- Duo requisita ad simulationem formalem.* num. 3.
- Quid sit simulatio materialis; &*

quid, quando signa externa indifferentia sunt ad plura significanda? num. 4.

Quod nam sit discrimen inter voces, & signa externa quoad significationem? num. 5.

Quomodo signa externa possint procedere à diversis causis, & ideo significare diuersa? num. 6.

Qualis fuerit simulatio Iosue, & militum eius? num. 7.

Quid quando Christus Dominus finxit, se longius ire? Lucae 24. num. 8.

Duplex distinguitur simulatio materialis alia, qua respicit circumstantiam vitiosam, & alia absque tali circumstantia. num. 9.

1. **P**ropositio 29. inter damnatas hæc est: *Vrgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.* Quæ propositio vnum supponit, & alterum statuit. Supponit, illicitum esse simulare administrationem Sacramentorum absque causa gravi; & statuit vrgentem metum esse causam gravem, ratione cuius non sit illicitum simulare administrationem Sacramentorum. Damnata autem hac propositione, relinquitur, ita esse illicitam eam simulationem, vt non sufficiat metus vrgens, vt reddatur licita. Vt autem sensus huius propositionis, & damnationis eius melius percipiatur, aliqua prænotari oportet.

2. Prænotandum est ex P. Suarez de legib. lib. 9. cap. 17. num. 15. dupliciter usurpari posse, & solere vocem *simulationis*: alia est enim simulatio formalis, & alia simulatio materialis. Simulatio formalis iuxta S. Thomam 2. 2. quæst. 111. art. 1. 5. Tom. corp. est, cum quis per signa externa factorum; vel rerum significat aliquid contrarium eius, quod credit.

Ggg At-

S. Thom. Aitque S. Thom. id semper esse peccatum, quia sic est mendacium. *Non refert autem, utrum aliquis mentiatu verbo, vel quocumque alio facto, ut supra habitum est. Vnde cum omne mendacium sit peccatum, ut supra dictum est, consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum.* Quæ sunt verba Angelici Doctoris. Vnde fit, quod simulatio formalis dicitur illa, quæ dolosa est, & mendax.

3. Hinc fit, quod sicut ad mendacium, ita & ad simulationem dolosam requiruntur duo; & quod sit falsum, saltem existimatum, id quod quis significat per signa externa; & quod sit ex intentione decipiendi, qua quis intendit, quod alij intelligant aliter, ac ipse cognoscit, rem se habere.

4. Simulatio materialis est, cum quis dat signa externa factorum, vel rerum, indifferentia ad plura significanda, per quæ præter intentionem aliqui decipi solent. Circa quam descriptionem aliqua notanda veniunt. Primum, sicut in verbis non est mendacium, cum quis loquitur per terminum æquivocum, licet is, qui loquitur, intelligat unum significatum, & qui audit, intelligat alterum significatum; ita contingit in eo, qui loquitur, aut quasi loquitur per signa externa, quando hæc sunt indifferentia ad plura significanda.

5. Secundum, magnum esse discrimen inter voces, & res quoad significationem. Voces enim significant ad placitum; iuxta impositionem hominum. Res autem sunt signa naturalia: gemitus enim est signum naturale angoris animi; risus est signum naturale lætitiæ. Quamvis aliquando significant ad placitum, non quidem ex communi impositione hominum, sed ex privata intentione eius, qui utitur tali sig-

no. Sic enim cum quis non advertit externum cultum, quem exhibere debet magnati occurrenti, amicus prope stans percutit leviter brachiū eius non advertentis: quæ percussio in talibus circumstantijs ex intentione percipientis est signum eius cultus exhibendi tali magnati; & sic in multis alijs.

6. Tertium, hæc signa externa naturalia ut in plurimum sunt effectus alicuius causæ; nam effectus est signum naturale suæ causæ. Quia tamen contingere solet, quod vnus effectus possit procedere à multiplici causa; ideo solet etiam contingere, quod vnus ponat effectum procedentem à causa A., & qui videt, existimet procedere à causa B., & ita is, qui videt, decipiatur. Vnde fit, quod possit, & soleat dari simulatio materialis; per quam qui videt factum, existimet procedere ab vna causa, à qua re vera non procedit: & ita qui materialiter simulat, non intendit decipere, sed permittit deceptionem alterius.

7. Et ita cap. 8. libri Iosue, iste præcepit militibus fugam, ut commodiorem haberent occasionem debellandi hostem. Et ita num. 5. dicitur: *Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab urbe longius protrahantur; putabunt enim, nos fugere, sicut prius.* Et num. 15. *Iosue vero, & omnis Israël cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitudinis viam.* Quam simulationem excusant à peccato Interpretes, ut pote simulationem materialem: quia fuga potest procedere à diversis causis, nempe vel à timore vel à desiderio habendi commodiorem occasionem pugnandi. In hoc ergo casu istud desiderium erat causa, à qua procedebat fuga, non metus; hostes autem putabant, eam fugam

gam procedere à metu. Dicuntur autem Iosue, & eius milites *simulantes metum*, non quia intendebant decipere, sed quia permittebant deceptionem.

8. Sic etiam intelligitur illud factum Christi D., quo coram duobus discipulis accedentibus ad Emmaus, *finxit se longius ire*. Luc. cap. 24 dicitur enim finxisse per simulationem materialem; quia discipuli putabant, motum corporis Christi D. significare viam materialem; & ipse Dominus significabat suum ad cælos iter: quare discipuli decipiebantur, præter intentionem Christi D.; non enim intendebat deceptionem illorum, sed permittebat.

9. Quartum. Simulatio materialis est in duplici differentia. Alia est, quæ respicit obiectum, aut circumstantiam vitiosam, quæ non potest excusari à culpa. Nam Catholicus, qui simulat se Iudæum, aut Lutheranum, quamvis non simulatione formali, quia non ita se simulat ex intentione decipiendi, sed ex alia diverfa intentione, nullatenus excusatur à culpa. Alia est simulatio materialis (quam libenter vocarem materialissimam) quæ respicit rem, aut circumstantiam omnino indifferentem, quæ nihil continet vitij, aut culpæ. Talis est illa simulatio Machabæorum, & illa, qua Christus D. *finxit, se longius ire*, ut supra dixi.

CAPVT II.

An propositio damnata loquatur de simulatione formali, an etiam de materiali?

SYMMARIVM.

Argumenta pro damnatione solius simulationis formalis. n. 11. & seqq.

Damnatio comprehendit tam simulationem materialem, quam formalem. num. 14.

Et quomodo simulatio materialis afferat irreverentiam Sacramentis. Ibidem.

Simulatio materialis, quæ respicit circumstantiam vitiosam, non excusatur à culpa. num. 15.

Quomodo nomine simulationis veniat tam materialis, quam formalis? num. 16.

Sacerdos proferens verba consecrationis cum simulatione materiali, peccat gravissime. num. 17.

Comprehendi simulationem materialem, probatur à paritate amphibologiae. num. 18.

Item ex eo, quod fingit, dispensari merita Christi. num. 20.

Solvuntur obiectiones, num. 21. & seqq.

10. **V**T perfecte calleamus sensum huius damnationis, inquirimus, an solum damnetur propositio, quatenus adstruit licitam simulationem formalem administrationis Sacramentorum, nempe ex intentione decipiendi, saltem virtuali; an etiam damnetur propositio, quatenus respicit simulationem materialem, scilicet in qua præter intentionem administrantis decipiuntur fideles.

11. Et propositioni afferenti, quod damnetur solum simulatio formalis, videatur suffragari hæc argumenta. Primum, nam sola simulatio formalis est proprie, & stricte simulatio: ergo cum in his damnationibus standum sit pro verborum proprietate, dicendum est, damnationem intelligi de simulatione formali; nam simulatio materialis non est proprie, & stricte simulatio.

12. Secundum. Nam in dubijs cuiuslibet legis, semper debemus in-

G g 2 telli-